

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0772

Sabato 10.10.2015

Pubblicazione: Immediata

Sommario:

◆ **Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione conclusiva del I Congresso Eucaristico Nazionale della Repubblica Ceca (Brno, 17 ottobre 2015)**

◆ **Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione conclusiva del I Congresso Eucaristico Nazionale della Repubblica Ceca (Brno, 17 ottobre 2015)**

Il 22 agosto scorso è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Paul Josef Cordes, Presidente emerito del Pontificio Consiglio "Cor Unum", come Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione conclusiva del I Congresso Eucaristico Nazionale della Repubblica Ceca, che si terrà a Brno il 17 ottobre 2015.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti Ecclesiastici:

- Don Radek TICHÝ, del clero dell'Arcidiocesi di Praga, Amministratore della parrocchia di Ořech, Vicario parrocchiale della chiesa di San Giacomo Maggiore a Praga-Sotdůlky, docente di Liturgia presso la Facoltà Teologica Cattolica dell'Università di Carlo a Praga;

- Don Zdeněk MAREŠ, del clero della diocesi di České Budějovice, Amministratore della parrocchia della Cattedrale, Decano del Capitolo e docente di Teologia Sistemica presso la Facoltà Teologica dell'Università della Boemia del Sud.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Paul Josef Cordes:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

PAULO IOSEPHO S.R.E. Cardinali CORDES

Pontificii Consilii «Cor Unum» olim Praesidi

"O singularis et admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, et datum est idem penitus cum datore!" (Urbanus IV, Ep. encycl. *Transiturus de hoc mundo*). Nos quidem numquam adorationem vel gratitudinem sufficientem Salvatori de ineffabili hoc dono praebere valebimus. Attamen grato animo adeamus oportet Christum Dominum in Eucharistiae sacramento praesentem viva fide cognoscendum, digne sumendum et pie adorandum una cum christifidelibus nobis creditis.

Laetanti ergo animo novimus sacros Reipublicae Cechae Pastores, simul cum fidelibus, inter plurima proposita pastoralia ac theologica per catechesim tradendam, liturgiam accurate celebrandam et sacramenta assidue suscipienda singulis in paroeiis et dioecesibus, praeparationem explevisse ad I Congressum Eucharisticum Nationalem perficiendum. Quia vero nobilis populus istius Nationis superioribus annis ampliore libertate gaudet, arbitramur hunc eventum fidem eius augere et roborare posse, qua de re hoc salutare inceptum Nos laudare cupimus et comprobare.

Quo autem catholica haec communitas universali cum Ecclesia et beati Petri Successore unitatis vinculum magis persentiat Nostramque experiatur sollicitudinem et caritatem, libenter petitioni concedimus, quam Nobis attulerunt Venerabilis Frater Noster Dominicus S.R.E. Cardinalis Duka, O.P., Archiepiscopus Metropolita Pragensis et Praeses Conferentiae Episcoporum, necnon Venerabilis Frater Ioannes Vokal, Episcopus Reginae Gradecensis itemque Delegatus pro Congressibus Eucharisticis, nempe ut Patrem Purpuratum illuc mittamus, qui Nostram gerat personam. Ad te autem mentem Nostram vertimus, Venerabilis Frater Noster, qui olim Pontificio Consilio «Cor Unum» praefuisti quique iam multos per annos dignum et fidelem te praebes Apostolicae Sedis ministrum in variis magni ponderis officiis.

Quam ob rem fidenter te Nostrum **Missum Extraordinarium** constituimus ad Primum Congressum Eucharisticum Nationalem Reipublicae Cechae diebus XV-XVII proximi mensis Octobris in urbe Brunensi celebrandum. Hac data occasione una cum sacris Pastoribus omnibusque christianis fervidas Deo reddes gratias - quod voce "Eucharistia" significatur - pro sublimi dono Corporis et Sanguinis Christi, eosdemque invitabis ad divinam benedictionem implorandam per processionem eucharisticam.

Mens Nostra est ut omnes huius Nationis Pastores christifideles cohortentur ut Eucharisticum Sacrificium frequenter ac devote participant, reconciliationis sacramento abluantur, sacro ibidem reficiantur convivio. Quos verum hortamur ut sacerdotes suos plurimi existiment, qui a Domino electi sunt et constituti Eucharistiae ministri, atque Dei Filius "quotidie descendit de sinu Patris super altare in manibus sacerdotis" (S. Franciscus Assisiensis, *Admonitiones* 1,18).

Legationem tuam totumque Congressum enixe committimus validae intercessioni Beatissimae Virginis Mariae omniumque Sanctorum huius Nationis. Benedictionem demum Apostolicam, caelestis gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, quam tibi imprimis libenter impertimus, volumus nomine Nostro cunctis Pastoribus, religiosi viris et mulieribus, christifidelibus laicis, civilibus auctoritatibus et omnibus Congressus Eucharistici participantibus peramanter largiaris.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVII mensis Septembris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01674-LA.01] [Testo originale: Latino]

[B0772-XX.01]

